



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 59. in derisores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

# PHILIPPICA LIX.

In Derisores.

DOMINICA EADEM.

*Deridebant eum, Matth. 9. v. 24.*

§. 1.  
Multi e-  
ciamnum  
sunt irriti,  
æc Christi-



**S**æpius repeti audivi-  
mus fabulam, an hi-  
storiam de duobus  
philosophis, Heracli-  
to & Democrito, quo-  
rum hic nunquam  
non ridere, ille è contra flere sole-  
bat, ambo verò hâc ratione sapien-  
tiæ titulum venabantur; in quos in-  
geniosè Poëta:

Ridet Democritus, lachrymatur  
at Heraclitus,

Dignus is est risu, dignus at hic  
lachrymis.

Nec semper flere, nec semper ride-  
re sapientem decet.

*Per risum multum poteris cogno-  
scere stultum;*

*Per multum stetum vis stulte accer-  
sere lethum,*

Tempus ridendi & tempus flendi,  
nunquam tamen tempus est Deum  
irridendi, quod hodierni tibicines  
fecisse leguntur, eorûmque exem-  
plo faciunt omnes ij, qui Deum &  
divina pro deridiculo habent, item-  
que ij, qui canticis obscænis dele-  
ctantur, quos nec deridebo neque  
dessebo, sed quibus plausibus & la-  
chrymis digni sint, brevissimè insi-  
nuabo.

Irrisores huc huc adeste, audi-  
te, & si audetis, ridete. Imò irrisores  
omnes quantocyus exeste ad impe-  
rantis Verbi vocem: *recedite*, in ma-  
lam extemplò crucem abite. Væ vo-  
bis, qui ridetis. *Parata sunt deriso-  
ribus judicia & mallei percutientes*

§. 2.  
Grandia  
damna ri-  
sûs.

*stultorum corporibus* prov. 19. v. 29.  
*Deus non irridetur.* Gal. 6. v. 7. tu  
Domine deridebis eos, ad nihil de-  
duces omnes, qui ponere in coelû os  
suum & in derisum ac similitudinem  
improperij facerrimos Ecclesiæ ri-  
tus te authore institutos habere  
præsumperunt. Væ vobis qui ri-  
detis, quia flebitis, væ qui spernitis,  
quia spernemini. Risit Michol Da-  
videm coram arca saltantem, sed  
non impunè; sterilitate enim risum  
luit 2. Reg. 6. risère Samsonem Phi-  
listæi: *vocate Samsonem ut ludatur  
& rideatur à nobis* ut habent He-  
bræa, verum caro illis risus & lusus  
constitit Jud. 16. risère petulantes  
pueri Elisæi calvitiam 4. Reg. 2. sed  
risus in luctum mox versus est, cum  
geminis ursis in prædam dati, cal-  
vum scomma multis calvarijs piâ-  
runt. Væ vobis qui ridetis! parata  
sunt derisoribus judicia & supplicia,  
tonitrua & fulmina, exitium & ge-  
henna. quid vetera repeto, nova suf-  
ficiunt deridentium austerimè pu-  
nitorum exempla.

Anno currentis sæculi tricesi-  
mo secundo triginta milites Osten-  
dâ Edam Hollandiæ urbem redu-  
ces impiè irrisère catholicos, quo-  
rum templa expilârant vestesque  
sacras superinduti cachianum &  
plausum spectantibus heterodoxis  
moverunt, unus aliquis Sacerdota-  
lem, ut vocant, planetam indutus e-  
ditiorem conscendit locum, & in  
cribro fictam ex hollandico caseo  
Rr 2 ho-

§. 3.  
Tragica  
facilege  
ridentium.  
catastro-  
phe. ex Jo-  
anne Pele-  
cio in turri  
Babel. c. 16

hostiam protulit, vasculum alius cum scopis loco aspergilli adportavit, singuli ludicrè saltitantes cantilantesque solenne illud *Dominus vobiscum*. ingeminabant, quin & lurconum spississimum sacerdotali apparatu ornatum arbori alligârunt, & bombardis papyro oneratis petitum quasi mortuum sepelierunt, ac sepulchro rursus extractum deduxerunt in templum, ubi consules, quatuor cerevisiæ cupas in congiarij vicem elargiti sunt. postridie unum Pontificis habitu indutum, mitrâ & pedo insignem produxere, cui perspicilia naso, manibus verò grandem cereum imponendo acclamârunt: exure diei oculos, lege & intellige, ora & canta. hæc 22. & 23. Februarij acta sunt. die posteriâ histrioniam repetere constituerant, festo videlicet S. Mathiæ; quæ in primam Dominicam quadragesimæ incidebat, sed risit irrisores Deus. post quartam enim matutinam fulmen in templum urbis delapsum unâque dæmon in forma draconis caudâ velut immani cometâ universam templi turrincomplexus magnos flammarum globos ex faucibus evomuit, & quaternas templo vicinas ædes momento absumpsit, vociferatus identidem articulatis vocibus: *Dominus vobiscum*, blasphemias singulas, quas pridie & nudius tertius milites sacrilegè eructârant, reiteravit: Turris tota cum templo conflagravit, & sexaginta insuper ædes vicinæ solâ parochiâ vetere, quam catholicus Sacerdos olim incoluerat, illæsâ persistente, fuissetque universa civitas exusta, nisi vicini Hornenses & Munikendamenses succurrissent. Væ vobis, qui ridetis! ecce qui habitat in cœlis irridebit & subfannabit vos in tempore malo, cum vobis ex templo supervenerit. Nec cœlorum Dominus duntaxat in

interitu vestro ridebit, sed infernus totus ferali plausu risus vestros coronabit. Nuper in tractu Vivariensi Calvinista pervicax catholicos ritus ac potissimum cantum funebrem subsannare solitus cantum illum *ruditum asininum* appellabat, & asininum jo imitabatur, quoties catholicorum funera efferebantur, elatus & ipse paulò post funus fuit, sed more Calviniano cruce & luce destitutus. nè tamen cantu & plausu careret, ecce tibi ingentem asinum grandi ruditu obstrepentem, qui nullis lapidibus clamoribusque abigi potuit, donec sepulto cadavere, aliquot circa tumulum circuitionibus peractis longo contentoque ruditu parentans disparuisset. Tales merentur inferias & funeris sui comites, qui sacrilego sanctissimas ceremonias risu prosequuntur; talem lessum & chorum expectent, qui in rebus pessimis lætari, de rebus verò optimis ludum facere consuevêre.

Non tam severâ censurâ digni sunt, quanquam censurâ non levi dignissimi, quicumque tremendi sacrificij tempore in Ecclesijs jocantur, fabulantur, cachinnantur. ð dæmonibus deteriores eos catholicos, qui rident, cum contremiscere oporteret: *dæmones credunt & contremiscunt*, catholici se credere jactant & jocantur in conspectu immortalis Judicis & multorum millium angelorum, ut ait Chrysostomus, frequentissima præsentia.

Hæc est desolatio in loco sancto, ex quo ruinas urbium, interitum regnorum, exitium orbis consequi est necesse. Potestates contremiscunt, Archangeli attonantur, Principatus & Dinationes incurvantur, Cherubim fulmineos enses stringunt, Seraphim fulmina minantur, & tu rides! In conspectu Imperatoris ait Philo de leg. vel ridere

S. 4.  
Ritus in  
templo  
tolerans  
dus,

Jacob. 2.

dere periculosum est alijs, quam valde familiaribus. risit Maximilianus Buranus Carolo V. in paucis charus, quod Imperatorem à podagræ doloribus titubantem incedere videret, causam risûs interrogatus frivolam aliam ex alia attulit, Carolus ingenio alioquin comi, altiori tono genuinam tam effusi risûs causam edici imperat, scire se velle, hic Buranus in genua supplex ingenue fassus est occurrisse sibi, quod imperium uno quasi pede vacillet, tum Carolus: *at vide, nè te se verus Imperator doceat Caput imperare non pedes, & carve, nè tibi caput vacillet.* quo dicto velut fulmine ictus, & tantum non de suo capite actum ratus, nunquam in posterum ridere visus est. & tu irrisor sacrilege de capite tuo agi non putas, non times? stat Sacerdos, ait S. Chryostomus (hom. 25. in ep. ad hebr.) *stat Sacerdos Deo orationem offerens cunctorum, tu autem rides? nihil times? non contremiscis?* Gravissimè olim vetabatur, nè quis in Academia, in loco ad animi gravitatem facto, rideret, multò minùs in Ecclesia, in Angelorum & ipsiusmet incarnatæ Sapientiae præsentia risus tolerandus est. Risit post ostium Sara Gen. 18. & ecce Angelus indignè ferens risum edidi in sua præsentia, interrogat se verè: *quare risit Sara?* quæ tamen risit occultè, vel ut hebræus habet: *risit intra se*, chaldæus, *paululum subrisit*, quàm graviter putas angeli jam ferent non dico clandestinum risum sed cachinnum, sed stentoream vocem & sarcasmos, sed sacrilegam rerum divinarum irrisionem. In convivijs Dominorum si quis è ministris os ad risum vel leniter componat, vapulat. *infelicibus servis*, ait Seneca ep. 47. *moveve labia, nè in hoc quidem, ut loquantur, licet. virgâ omne murmur compescitur; & nè fortuita quidem excepta*

*sint, tussis, sternutamentum, singultus magno malo ullâ voce interpellatû silentium luitur.* Luent omninò nec eluent sacrilegum suum risum, totâ, quæ infelices irrisores manet, æternitate, erit tunc pro risu fletus, pro cachinnis ejulatus, pro sarcasmis opprobria dæmonum & flagella.

Denique & in eos mihi fulminandum est, qui ex odæo & chora-  
gio Asmodæi ad ejusdem nutum & gustum obscænas adamant cantilenas. Qui Dominum majestatis irridebant, cantores erant, tibicines erant, plebei erant, ex turba videlicet impudentes homunciones; qui etiam nunc Iesum Virginis filium irrident & exhibilant, sunt cantores & cantatrices cacodæmonis, ad cujus nutum & gestum & gustum obscenas canunt cantilenas, quasi psalmos & hymnos non haberent, quos cum solatio Angelorum ad gloriam immensi Dei occinere possent. Sicut primæ notæ & sanctitatis homines sacras hymnodias concinnavère, puta magnificum illud canticum *Magnificat* Virgo Deipara, benedictum illud canticum *Benedictus* Pater Joannis Baptistæ Zachariæ, cygnæum illud canticum *nunc dimittis* venerandus Simeon, Moyses & hujus soror Maria: *audite cæli & cantemus Domino.* ita primæ malitiæ homines novas meditantur cantilenas, quibus cæno-  
fas suas libidines, & impuratos amores explicent, ut castissimo Virginis filio illudant.

Fortè pauci nostrum ferio unquam expenderunt, quod crucifixo Regi judæorum cantillatum sit ab inimicis, fistulatum, sibilatumque, uti in persona Domini Jeremias questus est Thren. 3. v. 14. *factus sum in derisum omni populo, canticum eorum totâ die,* & in eadem persona Psaltes ps. 68. v. 13. *in me psallebant*

S. 5.

Cantus  
obscæni  
damnandi.

*bant, qui bibebant vinum* (obseruo autem, quòd hic psalmus omnium primus sit, à quo officium cœnæ Domini incipit, quasi insinuare velit Spiritus Sanctus, primariò doluisse in cruce Christo aures à cantilenis, quas vino ebrij crucifixores eructabāt) in me psallebant, qui bibebant vinum, bonum namque vinum aromaticum, quod datum erat à bonis matronis Christo, sicut semper solebat morte puniendis dari, ebiberunt helluones pessimi & vinum acetosum cum felle Domino propinaverunt, inquit Joannes Landsparg. de pass. art. 48. *in me psallebant, qui bibebant vinum*, lac veneris. in Iesum hodiè que psallunt, qui neglectis sacris cantilenis impudicas concinunt, itaque divinis auribus illudunt & angelis quidem pacis amaras eliciunt lachrymas, risum verò movent averno. Verùm sicut Christus in hodierno evangelio irrisoribus dixit: *recedite*, & domo illos ocyùs exegit, miraculique spectatores esse non permittit, ita cantoribus & cantatricibus veneris intonabit aliquando terribile illud: *ite maledicti in ignem æternum* & vœ vestrum inter hircos & grunientes rudentesque pecudes congeminate.

Carolo V. Ratisbonæ cantavit melancholiæ pellendæ gratiâ Barbara Blomberg & ita incantavit Cæsarem, ut integritatem expugnârit. Vah quot obscœnis incâtati hymnis facti sunt in derisum & opprobrium nil miserenti orco. *videte si justum est, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum diaboli progrediatur* Augustinus serm. 215. de temp. *unum illud verbum* (quod sputum diaboli vocat Guilielmus Peraldus Lugduni Episcopus & spumam Cerberi) *uno in momento dum*

*aures inficit, animas interficit.* Bernardus serm. 24. in Cant. *Quisquis lasciva profert verba, is scintillas projicit libidinis* S. Antiochus in biblioth. Patrum.

Narrat S. Augustinus scriptum ad se fuisse à S. Cyrillo Hierosolymitano de quodâ Cyrilli nepote octo-decim annos nato, pravis cantunculis assveto, qui in flore ætatis demessus magnum in avunculo desiderium reliquit statù defuncti rescindi. oravit ergo Deû revelare sibi dignaretur sanctissima sua majestas, quo mortu° hæreat loco? & ecce coortus subitò foetor intolerabilis in Museo aures & oculos circûspectâtis Cyrilli obstupescit, vidit mox nepotè suû catenis igneis circumligatum ignem ex auribus ac naribus efflare & voce terribili ejulare: *propter maledictas cantilenas æternum maledictus sum.* Ite nunc cantores & cantatrices, canite, ridete, illudite, heu quale stipendium vos manet! ex domo mortalitatis cum nominato adolescente ante diem, recedere jubebimini, in ergastulum igneum relegandi! ô quàm periculosum est in pueritia assvescere ejusmodi cantibus, qui nec in senio recedunt à memoria, Maria Ægyptiaca post septemdecim annos in deserto consumptos tentari se adhuc sensit in exhaustissimo corpusculo à cantilenis obscœnis, Hieronymus vix lapide excutere melodiam earundem potuit; facilius enim verò addiscuntur, quàm oblivioni tradantur, severo ac pœnè miraculoso illo Christi verbo opus est: *Recedite*: Recedite itaque cantilenæ, versus perversi recedite; ardete nè ardeam, perite nè peream, tacete nè coram æterno judice obmutescam & in gehennales deturbatus rogos æternum audire cogar lamentationes & vœ.

PHI-